

*Propst, Dekan und Kapitel der Brixner Kirche an NvK. Sie bestätigen den Erhalt der Verfügungen zur Bestellung von Statthaltern. Gleichzeitig protestieren sie scharf gegen die fortdauernde Weigerung des NvK, die Seelsorge in den Hz. Sigismund unterstehenden Gebieten des Bistums Brixen wieder zuzulassen. Hieraus seien große Gefahren für den Frieden im Bistum zu befürchten. Überdies gehe man derzeit nicht vom Bestehen kirchlicher Zensuren aus, da diese nicht verkündet worden seien. Auf eine Wahl von Statthaltern habe man vorerst verzichtet. Dem Herzog sei Unterstützung durch die Brixner Kirche zugesagt worden.*

Kopie (gleichzeitig): BOZEN, StA, Codex Handlung (ehemals INNSBRUCK, TLA, Cod. 3911) f. 91<sup>r</sup>-94<sup>r</sup>.<sup>1)</sup>

Regest: Jäger, Regesten I 320 Nr. 258.

Erw.: Jäger, Streit I 366f.; Hallauer, Bruneck 387 (ND 2002, 162).

Prepositus, decanus et capitulum Brixinense rev<sup>mo</sup> in Christo patri et domino d. Nicolao tituli sancti Petri ad vincula presbitero cardinali, domino nostro graciosissimo. Obedienciam et reverenciam debitas et devotas cum recommendacione solita. Venerabili confratre nostro d. Michaele de N̄ets revertente a Mantua cognovimus v. r. p. locumtenenciam ecclesie vestre in temporalibus comisso iuxta litterarum 5 vestrarum tenorem.<sup>2)</sup> Sed auditio, quod v. r. p. curam animarum in dominiis serenissimi d. ducis saltem in ecclesiis, ubi temporales vicarii regunt<sup>3)</sup>, concedere rennuat, plurimum turbati sumus, considerantes ex hoc animabus necnon ecclesie vestre et nobis pericula maxima imminere, quibus occurrere adhibita etiam diligentia quacumque nullo modo possemus. Et cum pridie nuncii nostri ex Innsprugk fuissent reversi<sup>4)</sup>, didicimus de regimine spiritualium plura ibidem dicta fore, et valde sollicitati sumus, ut taliter providere-10 mus in eisdem, ut omnia benevole fierent et gravamina sew defectus in hiis abessent. Hoc deserviret ad futuram pacem et ad subsistenciam eorum, qui hincinde per illustrem d. ducem et capitulum et alias subditos vestros fuissent addicta. Et pax per hoc nutritur, ymo ad futuram concordiam captandam deserviret. Et nos credimus e. v. p. non minus posse admittere, quam hucusque factum sit, quod saltem per d. vicarium<sup>5)</sup> v. r. p. concedatur cura animarum. Nec credimus obesse aliquas censuras, quas tamen 15 ignoramus, maxime cum contra persona domini ducis aut loca dominii sui a nullo iudice specialiter et expresse publicate vel denunciate fuerint et sic nec teneri ad observanciam alicuius censure etc., prout hec in constitutionibus conciliorum Constanciensis et Basiliensis<sup>6)</sup> desuper editis laciis continetur, ymmo nec notorietas in hoc casu subesse videtur, prout e. v. p. r. optime novit. Et ista ablacio cure videtur esse periculosa et insolita, nec istum faciendi iure cautum esse reperimus. Et quia ex novitatibus consueverunt 20 plurima scandala et pericula evenire et nobis videtur contra conscientiam fore in eo casu, quod puniantur pauperes villani, qui neque in culpa sunt neque in causa, ut igitur oves vestro regimini commisso, pro quarum salute non minus quam felici conservacione ecclesie vestre v. r. p. debet esse sollicita, ab huiusmodi turbacione revelentur.

Sup(p)licamus humiliter e. v. r. p., quatenus consideratis animarum et ecclesie vestre periculis velit 25 admittere gracie, ut vicarius vester<sup>7)</sup> more solito curam concedat, ne quoivismodo detur occasio detra- hendi v. r. p. sine diffinizione sentenciali contra pastorale vestrum officium necnon unionem contra d. ducem et subditos suos de facto procedat et sic ex consequenti contra ipsam ecclesiam et subditos vestros adversarios insurgere contingat, quod tamen deberet e. v. r. p. fore molestum. Necessarium enim erit vicarios predictos curam habere aut ordinem dare, ut omnes (h)abentes plebem per se in suis parro- 30 chiiis curam gerant, vel saltem admittat, ut nos in predictis, quod nobis equum videbitur, agere valeamus; non quidem, ut nos delectet habere onus regiminis in temporalibus vel spiritualibus, sed tantummodo pro bono statu v. r. p., ecclesie vestre et subditorum necnon pace conservanda huiusmodi oneri nos subdemus. Videmus enim in temporalibus non posse ecclesiam pacari, nisi et in spiritualibus modus conveniens paci observetur.

35 Hucusque, rev<sup>me</sup> p., non elegimus locumtenentes, sed deliberavimus super premissis vestrum gracioum responsum expectare. Non dubitet v. r. p., quin omnia bono zelo facimus, nec permittat sibi aliud de nobis persuaderi. Sed esset nimis grave et periculosum in temporalibus locumtenenciam agere et propter huiusmodi spiritualia tanta pericula expectare.

<sup>16</sup> denunciate: em. denuntiate.

De dictis et actis in Innsprugk arbitramur v. r. p. sufficienter avisatam per familiares suos, qui commissione et relacioni interfuerunt.<sup>8)</sup> Conclusive etenim actum est, videlicet quod d. duci est addictum nomine 40 ecclesie sibi assistere velle<sup>9)</sup>, quantum possumus cum honestate; et d. dux addixit, sed possibilitatem ecclesie sue assistere velle et nichil desiderare dishonestum nec per hanc suam requisitionem velle alicui auctoritatem sew potestatem suam minuere aut alienare aut aliquem ad rem illicitam angariare. Id, quod actum est, sine dubio sincere actum est et iuxta existenciam disposicionis eventuum diversorum. Et aliter ad presens fieri non potuit.

45

Expectamus super premissis a nobis petitis graciosum responsum a v. r. p., quam altissimus votive conservet. Datum Brixine die vii mensis februarii anno etc. lx<sup>o</sup> per e. v. r. p.

humiles et devotos prepositum, decanum  
et capitulum ecclesie Brixinensis

<sup>1)</sup> Unter dem Text folgt eine Notiz zur Aufnahme von Nr. 6114 durch NvK: Ista littera per magistrum Symonem est domino rev<sup>mo</sup> presentata in Brunegka, quando sua dominacio venit de Montua. Et nichil respondit, sed videbatur expectare velle, quando domini de capitulo mitterent ad suam rev<sup>mam</sup> p. de mense februarii anno lx<sup>mo</sup>. Eine Gesandtschaft des Domkapitels erwartete NvK vor allem zum Empfang des Legaten Bessarion; vgl. seine enttäuschte Bemerkung in Nr. 6119. Zum Aufenthalt des Simon von Wehlen in Bruneck s.o. Nr. 6113.

<sup>2)</sup> S.o. Nr. 6098.

<sup>3)</sup> Das Domkapitel nimmt hier Bezug auf die Regelungen vom März 1458 zur zwischenzeitlichen Suspension des Interdikts. Damals hatte NvK die Seelsorge für Pfarreien zugelassen, in denen Pfarrvikare oder Gesellpriester tätig waren, die sich – anders als die meisten Pfarrer des Inntals – nicht den Appellationen des Herzogs und des Klerus angeschlossen hatten; s.o. Nr. 5565, 5577.

<sup>4)</sup> Zu dieser Mission s.o. Nr. 6100 (1460 Januar 26).

<sup>5)</sup> Gebhard Bulach von Rottweil, Generalvikar des NvK.

<sup>6)</sup> Zu diesem Argument bzw. zu den Konzilsdekreten s.u. Nr. 6141 Z. 41 mit Anm. 9, 6228 Z. 5f. Das Argument würde obnehin nur die Exkommunikation (Hrz. Sigismunds) betreffen, von der im angeführten Basler Konzilsdecreto die Rede ist. Das Interdikt wurde am 22. Februar 1458 verkündet; s.o. Nr. 5517.

<sup>7)</sup> Gebhard von Bulach, Generalvikar des NvK

<sup>8)</sup> Ihre Namen werden nicht genannt; vgl. Nr. 6100 Anm. 3.

<sup>9)</sup> Hrz. Sigismund forderte Unterstützung im Kampf gegen Jan Wittowetz; s.o. Nr. 6058 Anm. 2, 6076 Anm. 2.